

gurinorum Iulij Cæsaris posteros se vocitant; Et nomen & hanc tantam vetustatem viri docti abiudicant. Ex quorum numero Iacobus Spigelius ad versum illum Ligurini; *Nobile Turregum insedit: qui putant, inquit, Turregum olim dictum esse Tigurum, falluntur; siquidem Pagi Tigurini, cuius est mentio apud Cæsarem, sunt Uranienses; est autem Turregum novum oppidum, cui fluvius, Turga, ut ipsi regioni Turgavia nomen indidit.*

Vt cumque sit, (nolim namque de hac controuersia hoc loco iudicium meum interponere) quia compertum habebam, me non gratum munus allaturum, si hodiernis Tigurinis Heluetiæ hanc lucubratiunculam offerrem, ad Bauariæ Tigurinos ire volui; ad te, inquam, *Admodum Reuerende Domine Prelate*, qui Tigurino Monasterio laudabiliter præes. Tu factum meum bonam in partem accipies; ita tibi faueat, multosque annos adhuc concedat supremus ille vitæ humanæ moderator precibus S. QVIRINI Tigurinæ Ædis Diui Tutelaris eximij: In golstadij 20. Iulij, Anno Salutis M. DC. XV.

AD.